

religiosus aliquis omni exceptione major, de quo nulla potest, esse suspicio, urgente conscientia quemdam judicialiter, denuntiat, eundem pro vero teste citare et examinare; præsertim si alias præter illum unus tantum testis, vel alia semiplena probatio adesset; consequenter sine ipso plena probatio haberi non posset. Quamvis in hoc casu etiam aliam via finis obtineri valeret; si videlicet cognoscens delictum, illud tantum paterne denuntiaret, simul tamen superiori talia indicia suggereret, vi quorum ipse ex officio inquirere, et paterne denuntiationem pro teste citare, et examinare posset; vel si cui-dam alteri suaderet, ut judicialiter denuntiat, quatenus dein ipse testis esse posset, quod nullo jure prohibitum videtur, si fraus et dolus, passio, et mala collusio abest; ac non nisi ex charitate et zelo religionis, hujus aut illius delinquentis bonum urgente conscientia intenditur: secus enim testem agere utique non posset alterum dolose instigans, utpote merito suspectus, et omni exceptione major non existens. Et in hoc sensu, non autem universaliter accipienda vel sequenda est doctrina Ameno, loc. cit., n. 69 et 70. Cæterum num ex charitate et zelo, an vero ex iniqua fraude tertius aliquis fuerit ad judicialiter denuntiandum persuasus, ex circumstantiis personarum facile prudens superior colliget.

231. *Socius criminis non potest esse testis.* — Resp. IV. Socii criminis non possunt esse testes. Communis et certa, claris juribus c. *Personas*, 20, de *Testib.*, c. 1, de *Confess.* 1. *Quoniam*, 44, de *Testib.*, cum concordant. Ratio est, quia hoc ipso, quod quis sit socius criminis, criminis, sicque ad testificandum inhabilis censetur.

232. *Limitatur hoc pluribus in casibus. Remissive.* — Limitatur tamen conclusio I. In criminibus exceptis. II. In criminibus, quæ ex natura sua socium requirunt. III. Si adsint alia indicia, et adminicula, prout amplius dictum est lib. II, tit. XVIII, § 4, vide etiam Ameno, tit. XV, §. *Testes*, n. 52 et 53.

§ V.

DE EXCEPTIONIBUS: UBI ETIAM DE CRIMINIBUS SINE ORDINE PUNIENDIS, NOTORIIS NEMPE, AC ILLIS, QUÆ IN FLAGRANTI DEPREHENDUNTUR.

233. *Ratio continuationis et ordinis.* — Postquam ordinarios tres modos, mediantibus

quibus crimina, et criminosi in iudicium deducuntur, et ibidem judicantur, et puniuntur, hactenus examinavimus: restant duo extraordinarii modi. eadem crimina in iudicium deducendi. « Exceptio nempe, et modus crimina quædam puniendi non servato juris ordine. »

234. *Exceptio quid?* — Quæritur I. Quid sit *exceptio*? Resp. I. Quamvis *exceptio* ut sic sit, et dicatur actionis, vel intentionis exclusio, prout late patet ex dictis, lib. II, tit. XXVI, de *Exceptionibus*; tamen ad propositum melius describitur dicendo: *Exceptio* est criminis, vel alterius oppositio a reo facta ad hoc, ut iudicem ab officio aut jurisdictione, vel accusatorem ab accusatione, denuntiatorem a denuntiatione, testem a ferendo testimonio, etc., repellat, aut impediat, vel etiam ut publicam vindictam subeat is, cui crimen oppositum est. Descriptio hæc majoris claritatis gratia, longior quidem, sed in re communis est, uti videre est apud Clarum, § final., q. 19, n. 2.

235. *Potest fieri civiliter.* — R. II. *Exceptio* potest dupliciter fieri, civiliter nempe, et criminaliter. Civiliter fit, quando reus crimen, vel quid aliud præcise ideo opponit, aut objicit, ut iudicem ab exercenda in se jurisdictione, accusatorem ab accusando, etc. repellat, aut impediat, non vero ut talis, contra quem excipitur, ob crimen oppositum puniatur, sic civiliter excipit reus, si v. g. dicit: « Hic iudex est de facto suspensus ab officio, hinc contra illum excipio, » vel, « excipio ac protestor contra hunc accusatorem, vel denuntiatorem, quia est v. g. meus capitalis inimicus, vel criminis, etc., ac propterea incapax ad accusandum, vel denuntiandum; » vel, « hic testis est meus capitalis inimicus, quapropter contra eum excipio, vel protestor; » vel « crimen, de quo fui accusatus, denuntiatus, etc., jam pridem est præscriptum, hinc excipio et protestor contra totum processum. » De exceptione civiliter intentata ample diximus, lib. II, tit. XXVI, de *exceptionibus*, per totum, ubi vide.

236. *Vel criminaliter.* — Criminaliter fit *exceptio*, quando crimen opponitur non tantum, ut criminis repellatur, aut impediat, ut supra, sed etiam ut pro vindicta publica, poena jure statuta eidem per sententiam infligatur; Clar., loc. cit., cum communi aliorum.

237. *Si tantum civiliter fit exceptio, non potest iudex punire illum, contra quem facta*

est exceptio, opponendo ei grave, vel verum crimen. — Resp. III. Si reus civiliter tantum excipit, non potest iudex illum, cui crimen a reo opponitur, propterea punire, etsi crimen probaverit reus opponens (nisi alium processum instituat) sed debet statim in eodem adhuc processu ex probationibus rei, vel alias cognoscere, et judicare, an *exceptio* illius sit justa, et legitima: si justam agnoscit, debet eam per sententiam interlocutoriam admittere, et ei conformiter juxta intentionem rei excipientis se habere: si vero injustam, aut frustratoriam deprehendit, illam rejicere, eaque non obstante in processu pergere. Clarus, loc. cit. Barbosa, in c. *Cum dilectus*, 2. de *Ordin. cognit.* num. 5; Pirhing, h. t. n. 130, cum communi, arg. cit. c. *Cum dilectus*, 2. § *Verum de Ordin. cognit.* Ratio est, quia iudex debet se accommodare intentioni et fini agentis, formæque libelli ab illo propositæ, arg. c. *Qualiter*, 24, h. t. et c. *Licet*, 30, de *Simoniam*, ibi: « Ut juxta iudicii formam sententia quoque dictetur. » ergo.

238. *Nisi alium processum instituat prout bene potest.* — Dicitur autem notanter: « Nisi alium processum instituat; » quia talis civiliter facta *exceptio* bene potest iudici aperire viam, ut ex officio novum inquisitionis processum instituat contra illum, contra quem *exceptio* facta est, si nempe ex probationibus, aut indicis appareat, crimen objectum revera fuisse commissum, aut si fama de eo volet, prout bene advertunt doctores citati.

239. *Si exceptio criminaliter intentatur, inducit naturam accusationis, et ejus condiciones requirit.* — Resp. IV. Quando Reus criminaliter excipit, assumit *exceptio* naturam accusationis, arg. 1. *Si cui*, 7, ff. de *Accusat.*, debetque propterea condiciones ad accusationem requisitas habere, v. g. speciem, locum, et tempus delicti exprimere, et alia continere, quæ supra a n. 6, sunt recensita, arg. 1. *Libellorum*, 3, ff. de *Accusat.* Hinc etiam ille, contra quem excipitur, non tantum a facta jam accusatione v. g. denuntiatione, ferendo testimonio removeatur, sed etiam vindictam publicam per statutas juris penas sustinere debet, si excipiens crimen objectum probat, vel absolvi, et e contra excipiens poena talionis puniri debet uti accusator, si in probatione deficiat, Clarus, loc. cit. cum communi aliorum, arg. cit. *Si cui*, ff. de *Accusat.*

240. *De reliqua materia exceptionis. Remissive.* — Reliqua de exceptionibus vide cit. lib. II, tit. XXVI, de *Except.* per totum.

Circa alteram paragraphi partem notandum prius duo esse genera delictorum, quæ puniri possunt non servato juris ordine, alias ad processum criminalem requisito; videlicet *crimina notoria*, et *crimina in flagranti* deprehensa. Pro quorum majori intelligentia.

241. *Occultum aliud est proprie tale, puni-turque a solo Deo.* — Quæritur II. Quid sit occultum, et quid publicum, prout occulto opponitur? Item quid manifestum, et quid notorium? ac in quo differant? Resp. I. Quamvis varie sumatur occultum, præcipue tamen dupliciter quid est, et dicitur occultum; videlicet proprie, et pene tale. Occultum proprie dicitur illud, quod nulla ratione probari potest. Joan. Andreas, in c. *Vestra*, de *Cohabitat. clericor. et mulier.* num. 12; et ibi Ancharanus, n. 14; Abbas, n. 10; Fagnanus, n. 43, dicens nullum discrepare, arg. c. *Ut Ecclesiast. beneficia*. Et de his occultis soli Deo relinquitur iudicium, can. *Erubescant*, 11, dist. 32, ibi: « Secretorum est cognitor Deus, et iudex, » juncto can. *Consulisti*, 20, §. *Spontanea*, cau. 2, q. 5, cum concordant.

242. *Aliud pene tale, et quod?* — Pene, vel quasi occultum est; quod probari quidem potest, non tamen a multis, sed tantum a paucis, v. g. a duobus, tribus, vel etiam quinque scitur; nam secretum adhuc dicitur etiam illud, quod in præsentia quinque personarum dicitur, can. *Quis aliquando*, 87, de *Pœnitent.*, dist. 1, § *Hæc ergo secreta*, §. *Filiam archisynagogi*, et notat ibi Glossa, §. *Secreta*, observans « esse secreta, quæ fiunt sub præsentia quinque personarum; » intellige, quandiu ad iudicium non deferuntur, seu judicialiter non discutuntur, nec plus manifesta fiunt, ut bene observat Fagnanus, loc. cit. et alii ab eo citati, arg. c. *Vestra*, 7, de *Cohabitat. clericor. et mulier.* ibi: « Aliud est pene occultum, quod ab Ecclesia toleratur, etc., utpote ad iudicium nondum deductum, nec habet operis evidentiam. » Dicitur autem pene occultum; hoc ipso enim, quod probari, et manifestum fieri possit, non amplius proprie occultum, sed jam aliquo modo publicum est, et dicitur; prout statim patebit.

243. *Publicum quid, et quotuplex?* — Resp. II. Publicum multipliciter sumitur,

præcipue autem sunt tres gradus seu species illius, uti post Suarez, *de Charitat.* disp. 8, sect. 6, in princ. bene notat Palao, tract. VI, disp. 3, punc. 43, n. 4. Prima species, primusve, et maxime genericus gradus publici est id, quod saltem a duobus scitur, et consequenter probari potest. Tale enim a jure jam publicum, item probabile dicitur. arg. l. *Herodes palam.* ff. *de Testam. et qui testam.* can. *Consulisti.* 20, §. *Spontanea.* cau. 2, q. 5; Fagnanus, l. c. 53, et n. 421, ac citati cum aliis: quod publicum cum pene occulto convenit. Alter gradus publici est, quod non tantum probari potest, sed jam pluribus ita notum est, ut fama de illo existat; quod etiam manifestum dicitur: item etiam famosum. Tertius et supremus publici gradus est, quod ita jam notum est, ut nullo modo amplius celari, aut negari valeat; et tunc etiam notorium dicitur. Unde publicum se habet tanquam genus, manifestum autem, famosum, et notorium tanquam species; ut proin omnia notoria et manifesta, sint etiam publica; sed non omnia publica sint manifesta. Navarrus, cap. xxvii, *Manual.* n. 255. Fagnanus, in c. *Vestra, de Cohabit. cleric. et mulier.* n. 52, post Abbatem, ibid. n. 44, et alii.

244. *Famosum, quid?* — Resp. III. Famosum est, quod per publicam famam innotescit: quid autem sit fama, et quæ requirantur ad eam, ac quomodo differat a rumore? ad longum habes lib. II, tit. XX, § 12.

245. *Manifestum, quid, et in quo differat a famoso et publico?* — Resp. IV. Manifestum (proprie loquendo) dicitur, quod est publice et famose notum ex certa scientia, et certis auctoribus. Ita in re communis, Joan. Andreas, in c. *Vestra, de Cohabit. cleric. et mulier.*, n. 9, et ibi Abbas, n. 12; Fagnanus, n. 55; Tuschus, litt. N. concl. 104. Dicitur famose notum; quia ut quid vere dicatur manifestum, debet concurrere fama; quæ tamen ad esse publicum non requiritur, ut proin manifestum et publicum in hoc distinguantur, quod ad manifestum, non autem ad publicum requiratur fama. Fagnanus, loc. cit. num. 65, et ibi Butr. n. 33, arg. c. 1, *de Postulat. prælat.*

Dicitur « ex certa scientia, et certis auctoribus. » In quo differt a famoso, et rumore. Nam fama non requirit certam scientiam, nec rumor certum auctorem, ut constat ex lib. II, tit. XX, § 12. Sed illa provenit

etiam ex sola suspicione, et rumor ex incerto auctore, uterque est quandoque fallax, Abbas, loc. cit. n. 12; Fagnanus, loc. cit. num. 63. Non sic manifestum, utpote pro quo necesse est, quod plures certi adfuerint auctores, qui per certam scientiam et sensum corporeum cognoverunt, et desuper testimonium dare possunt Butr., loc. cit., num. 33; Fagnanus, loc. cit., n. 63.

246. *Notorium proprie, quid?* — Resp. V. Notorium (proprie loquendo) est, et dicitur illud, « quod constat vel per evidentiam rei, quæ nulla possit tergiversatione celari, » ut dicitur c. fin. *de Cohabit. cleric. et mulier.* et c. *Cum olim.* 24, *de Verb. Signif.* ut si fiat coram omnibus, vel majori parte communitatis. Nam per majorem partem populus universus designatur, l. *Aliud.* 160, ff. *de Reg. jur.* ibi: « Refertur ad universos, quod publice sit per majorem partem: » vel de quo constat per confessionem rei factam in iudicio, uti habetur in citatis juribus, etc. *Cum speciali. de Appellat.* Quod tamen intelligendum est de confessione sponte facta, et non metu gravi, aut vi tormentorum extorta, Pirhing, h. t. n. 20, *de Appellat.* n. 30, vel de quo patet per sententiam condemnatoriam, a qua non fuit appellatum, cit. c. fin. *de Cohabit. cleric. et mulier.* juncto c. 1, *de Except.* aut de quo constat per testes idoneos, aliasve legitimas probationes, si nihil possit opponi, sitque jam in causa conclusionis, cit. c. *Olim. de Verb. Signif.* juncta Glossa, in c. *Significavit.* §. *Liquere de testib.* Pirhing, h. t. n. 55.

247. *Sumitur subinde pro manifesto, et differt ab eo, et dicit plus.* — Hinc quamvis notorium, et manifestum subinde pro eodem sumantur, arg. c. *Constitutionem. de Verb. Signif.* in 6, ac cit. c. *Cum olim.* eod. ubi manifestum eodem prorsus modo explicatur, quo notorium et c. fin. *de Cohabit. cleric. et mulier.* Nam priori loco ita habetur: « Offensam illam nos inscribimus intelligere manifestam, quæ vel per confessionem, vel probationem legitime nata fuerit: aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari. » Posteriori autem loco taliter legitur: « Nisi peccatum hujusmodi sit notorium per sententiam, seu per confessionem factam in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celerari non possit. » Tamen proprie loquendo, et prout notorium propriam speciem constituit, differt a manifesto, et quidem principaliter in

hoc, quod manifestum minus sit quam notorium, prout bene observat Abbas, loc. cit., n. 12; Fagnanus, loc. cit. n. 54; Tuschus, loc. cit. n. 19, arg. c. *De hoc.* 13, *de Simonia*, ut proin omne quod est notorium, sit etiam manifestum, sed non e contra.

248. *Notorium multiplex. Remissive.* — Notorium aliud est juris, aliud facti. Notorium facti rursus aliud facti transeuntis, aliud permanentis, aliud interpellati. Item aliud notorium est præsumptionis seu præsumptum. De quibus omnibus lib. III. tit. II, *de Cohabit. cleric. et mulier.* a num. 15, ubi vide, ne inutilis fiat repetitio. His prænotatis.

249. *Quod fit coram majore parte communitatis, notorium facti est.* — Difficultas et dubium est, quot hominum præsentia requiratur, ut factum coram eis delictum, vere et proprie dicatur notorium notorietate facti. Circa quod licet variæ sint opiniones doctorum ut videre est apud Fagnanum, in c. *Vestra. de Cohabit. cleric. et mulier.* num. 88. Sanchez, lib. VI, consil., cap. III, dub. 3, et alios: conveniunt tamen fere omnes in hoc, semper sufficere majorem partem populi, viciniae, parochiæ, collegii, communitatis, etc., dummodo in tali communitate non sint pauciores homines quam decem, Sylvester §. *Notorium*, q. 4; Abbas, in c. *Vestra. de Cohabit. cleric. et mulier.* n. 16; Navarrus, cap. xxvii, n. 55. Ratio est; quia decem constituunt populum, arg. can. *Unico.* 3, cau. 10, q. 3, consequenter quod coram majori parte talis communitatis fit, coram omnibus ejusdem, et sic notorie fieri censetur; quia juxta dicta supra n. 246. per majorem populi partem totus populus designatur, l. *Aliud.* 160, ff. *de Reg. Jur.*

250. *Non est necesse ad notorium, ut fiat coram majori parte communitatis, si hæc magna est.* — Non autem semper necessario requiratur major pars communitatis, etiamsi hæc magna copia hominum v. g. trecentis constet, valde controversum est. Et quidem Sanchez, loc. cit. cum nonnullis aliis videtur affirmativam tenere; Abbas, tamen loci cit. n. 16, et ibidem Fagnanus id prudenti iudicis arbitrio relinquendum censet; qui ex circumstantiis, qualitate actus, loci, temporis, et personarum judicare debet, hoc ipso, quod circa hoc in jure nihil habeatur decisum arg. l. 1, § 2, ff. *de Jure deliber.* l. *Continuo*, § 1 et 2, *de Verb. obligat.* Et certe ridiculum videretur dicere, non esse notorium, quod in præsentia centum hominum

factum est, ex eo, quod communitas constet trecentis hominibus.

251. *Nec ut fiat coram majori parte populi totius loci; sed sufficit, si fiat coram majori parte viciniae, parochiæ, collegii, monasterii, etc.* — Illud etiam cum dicto Sanchez, loc. cit. num. 12; Abb., loc. cit. num. 16; Navarrus, et Sylvestro citatis notandum, ad hoc, ut quid dicatur notorium, non requiri esse factum in præsentia majoris partis totius populi in aliquo loco, sed sufficere, si fiat in præsentia majoris partis, viciniae, parochiæ, collegii, aut communitatis, respectu cujus dicitur notorium.

252. *Necesse tamen est, ut fiat in præsentia saltem sex hominum. Occultum adhuc dicitur, quod coram quinque fit.* — Cæterum inferitur, semper necessario requiri, ut saltem in sex hominum præsentia fiat: nisi in conspectu iudicis peccetur, juxta dicenda infra num. 263; tum quia minor numerus non facit majorem partem minimi populi, juxta dicta num. 249; tum quia factum coram quinque adhuc in aliquo gradu dicitur occultum, per dicta supra a n. 241. Hinc etsi religiosus v. g. in monasterio duodecim religiosos habente, publice in præsentia quinque fratrum delinqueret, qui illud dein statim propalarent aliis, ita ut publica fama de illo esset, non diceretur notorium ad effectum, ut non servato juris ordine posset puniri. Nec faceret ad hoc fama, quia hæc tantum id efficeret, ut factum evaderet manifestum, non autem notorium, per dicta n. 245, quæ bene sunt notanda.

253. *Delicta vere notoria puniri possunt, non servato juris ordine.* — Quæritur III. Qualiter ergo, et quomodo iudex sine ordine, seu non servato juris seu processus judicialis ordine contra crimina notoria procedere, eaque punire valeat? Resp. I. Regula universalis est: contra crimina vere notoria iudex non servato juris ordine procedere, eaque punire potest: Unanimis et certa, ob clara jura, can. *Prohibentur* 14, § *His omnibus.* cau. 2, q. 1, ibi: « Quæ manifesta (id est notoria) sunt, iudicarium ordinem non requirunt: » can. *Quæ Lotharius.* 16, ead. cau. et q. ibi: « In talibus (notoriis scilicet) iudicarius ordo non requiritur: » c. *Super eo.* 3, *de Testib.* cog. ibi: « Si factum est notorium, non eget testium depositionibus, cum talia probationem, et ordinem iudicarium non requirant, » cum concordantibus. Ratio est; quia furis orpo

ideo introductus est, ut veritas debite indagari, et malitiis accusantium obviari possit, et ne quis innocens condemnaretur, sed quis se, causamque suam tuendi, ac defendendi plenam haberet facultatem arg. cit. can. *Lotharius*, 16, cau. 2, q. 1. Ergo ubi veritas aperta jam habetur, ordo iudiciarius tanquam medium ad eam obtinendam, necessarius non est.

254. *Et non requiritur accusator, vel denunciator.* — Et ut in specie loquamur I. Non requiritur ad puniendam notoria accusator, vel denunciator, multo minus libellus, sed potest iudex absque his ex officio procedere contra notorie delinquentem, c. *Evidentia*, 9, h. t. ibi: « Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris: » c. *Manifesta*, 15, cau. 2, q. 1, ibi: « Manifesta accusatione non indigent, » et Clem. *Sæpe*, 2, §. Non autem, ubi habetur, quod libellus etiam ad summarium processum non requiritur; multo minus ergo ad procedendum contra notoria, utpote quæ nec summarium ordinem requirunt.

255. *Nec potest recusari iudex.* — II. In notoriis non potest recusari iudex tanquam suspectus, arg. c. *Proposuit*, 24, de *Appellat.* et ibi Glossa, §. *Manifesto*. Hoc tamen intellige de criminibus, quæ taxatam in jure poenam habent; in aliis enim, quæ arbitrio iudicis puniuntur, bene potest iudex recusari, si legitimam recusandi causam reus habet. Ratio est; quia in his notoriis facile suspicio esse potest, ne iudex ex odio, aut inordinato affectu in puniendo excedat, Farinacius, in *Prax. criminal.* q. 21, num. 117 et 130.

256. *Nec requiruntur testes ad probandum delictum, bene vero ad probandum notorietatem.* — III. Non requiritur productio, nec examinatio testium ad probandum crimen notorium, can. *de Manifesta*, 17, cau. 2, q. 1, ibi: « De manifesta et nota pluribus causa non sunt querendi testes. » juncto c. *Super eum*, 3, de *Testib. cog.* cujus textum lege supra n. 253. Ratio patet, quia iudex testes requirit, et examinat, ut certam acquirat de crimine veritatem; ergo si ex notorio certus jam est, frustra testes adhibet; nam « Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet, » c. 34, de *Reg. jur.* in 6. Dicitur autem notanter, « ad probandum crimen; quia ad probandam notorietatem testes subinde adhiberi omnino debent, juxta dicenda n. 264.

257. *Neque requiritur citatio.* — IV. Non requiritur citatio, casu quo crimen non tantum notorium est, sed insuper evidenter constat, quod nulla defensio competere possit reo, prout cum Abbate, et Innocentio docuimus lib. II, tit. III, de *Libell. oblat.* § 2, a. n. 70.

258. *Neque sententia cum solemnitate.* — V. Non requiritur sententia in scriptis, et cum aliis juris solemnitatibus, Innocentius in c. *Ex parte. il.* 1, de *Verb. signif.* n. 1. Calderin. in c. *Vestra, de Cohabit. cleric. et mulier.* n. 47; Farinac., q. 21, n. 113, arg., novell. 8, cap. ix, ibi: « Et causam ex non scriptis examinante. » Ratio est: tum quia jura universaliter statuunt, quod in notoriis ordo, seu solemnitates juris necessario non sint observandæ; ergo nec in sententia. Nam jus universaliter loquens, universaliter est intelligendum, c. 22, de *Privileg.* unde Passerinus in *Tribunal. regul.* q. 10, n. 12: Bossius, tit. *Quomodo procedendum in crimine notorio*, et alii docent, in notoriis loco sententiæ sufficere solum præceptum iudicis reo poenam imponentis.

259. *De consuetudine tamen fertur sententia.* — Clarus autem § fin., q. 9, n. 8. Fagnanus, in c. *Vestra, de Cohabit. cleric. et mulier.*, n. 96, docent, quidquid sit de jure, consuetudine tamen observari, etiam in notariis sententiam fieri. Pro quorum concordia dici potest, requiri sententiam, sed non cum solemnitate juris: vel requiri sententiam declaratoriam super notorio, juxta dicenda infra n. 264, non autem condemnatoriam ad poenam.

260. *In notoriis item non datur appellatio.* — VI. In notoriis non datur appellatio, potestque iudex illa non obstante procedere ad executionem poenæ, c. *Cum sit.* 5, § fin. c. *Pervenit*, 13, de *Appellat.*, ibi: « Si vero publicus est, et notorius, appellationis obtentu non prætermittas, quin eos excommunicatos denunties, ipsosque facias sicut excommunicatos cautius evitari. » Concordat c. *Consuluit*, 14, et c. *Proposuit*, 24, eod. Ratio est; quia in notoriis iudicis pronuntiatio potius executio juris, quam sententia est, contra quam appellatio alias datur, speculator tit. *de Notoriis crim.*, § 8, n. 15, et alii.

261. *Nisi appelletur contra sententiam declaratoriam notorii.* — Limitatur tamen præcedens doctrina in casu, quo reus appellat contra sententiam declaratoriam de ipsa no-

torietate criminis, prout bene fieri potest, quia « multa dicuntur notoria, quæ non sint, » ut dixit Pontifex c. *Consuluit*, 14, de *Appellat.*

Resp. II. Ad hoc, ut sine præfato juris ordine contra notorie delinquentem procedere, eumque punire iudex possit, quædam etiam requiruntur. Veluti I. Ut delictum vere ac proprie sic notorium, juxta dicta a num. 246, ut, si agatur de notorio facti; in præsentia sex saltem personarum sit perpetratum, juxta dicta supra num. 252, ut proin non sufficiat, crimen esse manifestum, et plene jam famosum, id est, mediante fama quasi omnibus notum; sed debet vere, ac proprie esse notorium.

262. *Ut delictum notorium sine ordine puniri valeat, requiritur I. Ut sit vere ac proprie notorium.* — Nec obstat can. Prohibentur, 14, § *His omnibus*, cau. 2, q. 1 et alia jura aperte dicentia, in manifestis non esse necessarium juris ordinem. Respondetur enim, in citatis locis manifestum sumi prout idem significat vere notorium, arg. c. *Cum olim, de Verb. signif.* et c. fin. *de Cohabit. cleric. et mulier.* quia omne notorium est etiam manifestum, licet non e contra juxta dicta n. 247.

263. *II. Ut de notorietate legitime iudici constet: quod dupliciter fieri potest.* — II. Requiritur, ut iudici de notorietate delicti prius legitime constet; quod dupliciter fieri potest, veluti primo, si reus delinquat in præsentia et conspectu ipsius iudicis pro tribunali sedentis, aut in actu, et exercitio jurisdictionis suæ existentis, idque præsentem etiam communitate, aut majore parte illius, ut vult Passerinus in *Tribunal. regul.* q. 10, n. 6, et alii: vel præsentibus assessoribus, aut saltem actuario, seu notario publico; ut probabilius docet Ludovicus de Ameno in *Practic. criminal.*, tit. III, §. *Canones circa recursum*, n. 58, ex illa ratione, quod, cum acta coram iudice per notarium in iudicio scripta alias plene probent, non appareat, cur non etiam sufficienter probent contra reum in conspectu iudicis, et notorii delinquentem.

264. *III. Ut constet de malitia delicti.* — Secundo potest constare per testes, si nempe absente, aut pro tribunali non sedente, nec actum jurisdictionis tunc exercente delictum commissum est: quo casu tamen requiritur ut duo saltem testes omni exceptione majores (si est sermo de notorietate facti) qui ex proprio sensu deponant, non solum de com-

misso delicto, sed etiam quod notorie, id est, coram populo, aut majori parte ejus fuerit perpetratum, juxta dicta superius a num. 246. Ludovicus de Ameno, loc. cit., num. 56. Farinacius, q. 21, num. 103; Passerinus, q. 10, num. 9, cum communi aliorum, arg. c. *Cum dilectus*, 15, de *Purgat. canon.* Vel si quæstio est de notorietate juris, per authenticum extractum, aut attestationem judicalem. Ratio horum; quia, cum iudicium sine ordine de crimine notorio factum, principaliter fundetur super notorietate criminis, utique de hac ante omnia legitime constare debet. Quo constituto debet iudex etiam de notorietate pronuntiare. Ludov. de Ameno, loc. cit.; Barbosa, *de Offic. et potest. episc.*, allegat. 106, num. 18; Tambur., *de Jure abbatum*, tom. III, disp. 7, q. 2, num. 19, et alii docentes, quod, si iudici de notorietate criminis prius legitime non constet, aut iudex de ea in sententia mentionem non faciat, processus sit nullus, et consequenter contra illum bene appellari valeat. Non autem est necesse, iudex per interlocutoriam super notorietate pronuntiet, sed sufficit, si in principali pronuntiatione aut sententia faciat, inferendo eidem hæc, aut similia verba: « Quandoquidem notorium sit Titii crimen, condemnamus ipsum ad poenam NN. » Ludov. Ameno, loc. cit., num. 58, citans communem legistarum, et canonistarum.

265. *Consultum praxique conforme est, ut nullus etiam notorie condemnatur sine citatione, et sententia.* — IV. Requiritur, ut non tantum constet de notorietate delicti, sed etiam de formalitate, aut malitia delicti; adeo, ut non sufficiat notorie esse commissum homicidium, sed insuper notorie constare debet, quod culpa, vel dolo, et non cum defensione inculpatae tutelæ, aut casu fortuito, etc., commissum sit, Clarus § fin., q. 9, n. 3, dicens, esse communem conclusionem, Farinacius, q. 21, n. 49; Passerinus, in *Tribunal. regul.*, q. 10, num. 5. Quod si de hoc notorie non constaret, saltem citatione rei opus esset, juxta dicta num. 257, arg. c. fin. *de Offic. delegat.* in 6, can. *Caveant*, 2, cau. 3, q. 9. Concordant, quæ lib. II, tit. III, a num. 67, diximus.

266. *Quid, et quotupliciter dicatur vitium in flagranti deprehensum? et quo ordine puniatur?* — Cæterum licet juxta dicta num. 257 et 288, Citatio et sententia cum solemnitate juris in vere notoriis necessariae non sint,

tamen doctores communiter et praxis suadent, ne iudex aliquem etiam notorie delinquentem, sine citatione et sententia condemnet; nec temere notoria asserat; tum quia citatio, quæ principaliter eo tendit, ut reus prius audiatur, et defendere se valeat, videtur esse juris naturalis, per dicta lib. II, tit. III, n. 68; tum quia multa dicuntur notoria, quæ non sunt, » c. *Consult. 14, de Appellat.*, consequenter omnino decet, ut in hac re caute procedatur, et mediante citatione reus prius audiatur; ac denique si vere notorium apparet, id, juxta dicta, sententiæ inseratur, sicque causa sine sententiâ non decidatur.

267. *Delictum in flagranti deprehensum, quid?* — Quæritur IV. Quid sit, et quando dicatur delictum « in flagranti deprehensum? » et quomodo processetur? Resp. Delictum in flagranti deprehensum dicitur tripliciter. *Primo*, quando quis in actuali aliquo delicto, furto v. g., fornicatione, etc., non tantum deprehenditur, sed comprehensus statim ad iudicem a justitiæ ministris, vel aliis ducitur. *Secundo*, quando ipse iudex coram testibus aliquem in flagranti delicto deprehendit, ut si v. g. prius monitus Caium solere tali die, et hora, tale delictum committere, assumptis secum testibus accedit locum, et deprehendit in flagranti reum. *Tertio*, quando quis in præsentia iudicis pro tribunali sedentis, vel jurisdictionem exercentis delinquit.

268. *In flagranti deprehensus punitur, non servato juris ordine. Et quomodo?* — Resp. II. In flagranti deprehensus puniri potest non servato juris ordine. Communis, et certa. Et quidem ad processandum et puniendum non requiritur ullus accusator, vel denunciator. Nec requiritur sententia cum juris solemnitate; imo potest poena infligi per simplex decretum, vel præceptum iudicis. Requiritur tamen, ut in primo et secundo modo prius examinentur testes super delicto, et apprehensione. Et dein examinetur reus, qui si fatetur delictum, statim per decretum, vel sententiam sine solemnitate ferendam puniri potest: Si vero negat, nec afferat aliqua pro sua accusatione, res magis examinanda, et defensiones, ac patroni ei sunt concedendi, Clarus, in *Praxi criminali.*, § fin., q. 8; Passerinus, in *Tribunal. regul.*, q. 10, n. 1; Farinacius, q. 21, num. 152 et seqq.

Porro, quomodo in praxi circa quemvis

trium horum modorum, sicut etiam circa notorium delictum formari debeat processus, dicemus infra quæritur V.

269. *Judex pro tribunali non sedens, haud dicitur aliquem in flagranti deprehendere.* — Resp. III. Quando iudex pro tribunali non sedens, nec jurisdictionem exercens, sed alia occasione oculis propriis videt reum delinquentem, non dicitur exinde in flagranti deprehensus, ad hoc, ut possit non servato juris ordine criminaliter contra ipsum procedere: licet possit sine alia denuntiatione, et accusatione inquirere contra ipsum, et informationem capere servato in cæteris juris ordine, Clarus, § fin., q. 8, n. 5; Farinacius, q. 21, n. 162; Passerinus, q. 10, n. 162.

Quæritur V. Qualiter in praxi formari debeat processus contra notorie, præsertim in præsentia iudicis delinquentem, vel in flagranti deprehensum? Resp. ad hoc quæsitum patere, § V, a num. 547 et a n. 553.

§ VI.

DE VISITATIONE REGULARIUM, PRÆSERTIM ORDINIS NOSTRI SERAPHICI.

270. *Visitatio regularium est vera inquisitio.* — Postquam egimus tam de generali, quam speciali inquisitione ut sic, abstrahendo an a sæcularibus, vel regularibus fiat; non incongrue hic annectitur paragra-phus de *Visitatione regularium*, utpote quæ vera inquisitio est, et frequenter a prælatis regularibus instituitur: idque vel ordinarie, vel extraordinarie, tam generaliter, quam specialiter, tam judicialiter, quam paterne, quamvis sæpius imo ordinarie paterne et generaliter, juxta dicenda.

271. *Est quidem ordinarie generalis ac paterne. Ad quem finem fiat?* — Quæritur I. Quid sint ordinariæ regularium visitationes? Ad quem finem? A quo, et quoties fieri possint, et debeant? Resp. I. Visitatio ordinaria regularium est inquisitio generalis de vita et moribus regularium ad hoc instituta, ut prælatus tanquam pastor vultum pecoris sui cognoscens, delinquentes contra regularem observantiam et disciplinam, aliasque obligationes corrigere, castigare, et emendare, bene ambulantes vero præmiare, ac quemvis juxta qualitates et merita promovere, media convenientia contra defectus, vel excessus præscribere, sicque observantiam et disciplinam regularem restituere, conser-

§ VI. DE VISITATIONE REGULARIUM, PRÆSERTIM ORDINIS NOSTRI SERAPHICI. 47

vare, et augere valeat. Ita in re communis, arg. c. *Romana*, § *Sane de testib.*, in 6, et *Concil. Trident.*, sess. 25, de *Regul.*, cap. I. Patetque ex terminis. Solum hic nota ex data descriptione, quod licet visitationes ordinariæ regularium principaliter instituantur ad cognoscendos, et tollendos defectus vel excessus regularium tamen etiam illuc tendant, ut ea mediante cognoscantur quoque boni religiosi, et qualitates eorum, quatenus sciat prælatus major, quales religiosos quosque aliis præficere, vel ad officia applicare possit et debeat, ut bene notat Antonius a Spiritu Sancto, p. 3, *Director. regular.*, tract. IV, disp. 3, sect. 1, n. 8, quia plurimum refert in religionibus, ut nonnisi boni, et debite qualificati ad gradus, dignitates, ac officia in ordine promoveantur.

Notandus insuper terminus inquisitio generalis; quia visitationes ordinariæ regulares non sunt speciales, sed revera generales inquisitiones, de quibus supra nu. 151, prout magis patebit ex dicendis infra.

272. *Superiores regulares possunt et debent iure divino et humano visitare suos subditos.* — Resp. II. Superiores regulares majores præsertim, generalis v. g. et provinciales, non tantum de jure humano ecclesiasticæ, statutisque ordinum, sed etiam jure naturali et divino possunt ac debent visitationes per se, vel per alios facere. Communis et certa. Et quidem de jure humano patet ex c. *In singulis*, 7, de *Statu monach.*, item ex *Concil. Trident.*, sess. 25, de *Regular.*, cap. I, cap. VIII, et cap. XX. Accedunt cujusvis Ordinis statuta, et nostra quidem cap. VIII, § 56. Ipsa quoque regula visitationes præcipit, cap. X. Altera pars de jure naturali desumitur ex ipsa natura officii pastoralis, ratione cujus tenentur superiores tanquam veri pastores inquirere et corrigere subditorum excessus, « Ne sanguis eorum de suis manibus requiratur, » arg. c. *Irrefragabili*, 13, de *Offic. ordin.*, ubi propterea etiam declaratur, quod visitatio nulla possit consuetudine impediri.

273. *Per se ipsos, nisi legitime impediuntur.* — Dicitur per se, vel per alios; quia si in persona impediti sunt, etiam per alios visitare possunt potestate visitandi eisdem delegata, arg. can. *Episc.* 11, cau. 10, q. 1 et c. *Inter cætera*, 15, de *Offic. ordin.* Ratio est, quia juxta reg. jur., 68, in 6. « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. »

Notat tamen Lezana *ŷ. Visitor*, n. 3; Antonius, a Spiritu Sancto, *Direct. regul.*, loc. cit., n. 5, quod si superiores regulares, quibus visitatio jure ordinario competit, absque legitimo impedimento aliis visitationes committerent, peccarent mortaliter; quia esset transgressio præcepti ecclesiastici graviter obligantis, *Concil. Trident.*, loc. cit. Nec relevat allegata regul. jur., 68 et 72, in 6. « Qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum. » Respondetur enim, utramque hanc regulam limitari in iis, in quibus electa est industria personæ, arg. c. fin., § fin., de *Offic. ordin.*, sicut etiam in iis, quæ æque utiliter per alium expediri non possunt, uti sunt visitationes, quæ experientia teste, utique majori cum effectu, et fructu procedere solent, si ab ordinariis, quam si a delegatis superioribus fiant. Hinc in nostra religione expresse prohibetur provincialibus, ne per alios visitent, et nonnisi urgente de causa commissarios ad certa negotia mittant.

274. *Et quidem frequenter, lis nempe, vel semel in anno.* — Resp. III. Superiores præfati tenentur frequenter visitationes instituere. Ita expresse *Concil. Trident.*, sess. 25, de *Regular.*, cap. VIII, ibi: « Teneaturque suæ congregationis monasteria frequenter visitare, et illarum reformationi incumbere. » Et quidem si fieri poterit, bis in anno, arg. c. *Non semel*, 29, cau. 18, q. 2, c. *Cum venerabilis*, 22, de *Causib.*, cum concordant., vel saltem semel, arg. can. *Episcopum*, 11, cau. 10, q. 1. Nisi forsitan statuta particularia aliud habeant, visitationemque sæpius vel rarius præscribant, quæ proin inspicere, et observare oportebit, uti bene notat Pellizz, tom. II, tract. IX, cap. IV, sect. 1, q. 3.

275. *In ordine nostro seraphico quoties fiat?* — Et quidem in nostra religione, cum eam ob sui latitudinem generalis ipse toties, quoties opus est, personaliter visitare nequeat, singulis triennis provincias per delegatum a se commissarium visitatorem generalem visitat juxta statuta generalia, cap. VIII, § 26, de *Commissariis visitoribus*, provinciales vero provincias sibi subditas, « singulis annis bis, aut semel saltem universam provinciam visitare teneantur, » etc., prout expresse disponunt præfata statuta generalia cap. VIII, § 47, n. 2.

276. *Superiores regulares non tantum semel, vel bis in anno, sed toties, quoties eis necessa-*